

P R Æ F A T I O,

fit quis ille Artaxerxes, aut quem locum obtineat in serie regum Persarum. Quis tibi autem, R. Pater, ex his duobus alterum tibi concedat, Daniele initium hebdomadam necessitas, nec proinde finem earundem alterum non rideat plenis buccis; siquidem Judæis valde placuerit, quisquis fateatur, nunc esse fortassis incertum, quis ille Artaxerxes fuerit, cujus anno vicefimo edictum dicitur esse prolatum de Hierosolymis extruendis?

§. XII.

*Artaxerxes, cujus annus vicefimus notatur in sacris litteris, Longimanum esse non posse.*

ARTAXERXES ille, cujus annus vicefimus adnotatur in libro secundo Esdræ, quis fuerit, primus patefecit P. Harduinus. Ipse est ille, cujus annus septimus in priore Esdræ libro nominatur, capite septimo: cujus mentio fit similiter capite sexto ejusdem libri, versu 14. ubi Judæi adificasse dicuntur & construxisse, jubente Deo Israel, & jubente Cyro, & DARIO, & ARTAXERXE REGIBUS Persarum. Vivebat autem profecto tunc ille Artaxerxes; & idem fuit tamen inferior Dario tunc quoque regnante. Nam si tunc diem ille supremum obiisset, præponeretur Dario: neque enim Darius vivus inter Cyrum & Artaxerxen mortuos nisi per absurdum interfereretur. Est igitur Artaxerxes ille rex aequè Persarum ac Darii, secundo ipso qui ibidem notatur Darii anno. Hic enim porro esse Longimanus potest; cujus initia distant ab hoc anno secundo Darii, te quidem auctore, annis quadraginta quinque; secundum alios, annis quinquaginta tribus? cujus denique principatu nullus Darius exiit? Quanti sit momenti hic Esdræ locus, præter ceteros, ad discriminandos Babylonios & Persas reges a Mediæ regibus, (quod est a P. Harduino primum animadvertum,) fatebuntur ii profecto, quibus sacra litteræ cordi & amori sunt, ut par est esse: quantumvis ii refragentur, qui quoniam in profanis scriptoribus hoc regum discrimen non legunt, neque illud idcirco perspicere in sacris litteris valent.

Esdras deinde Saraïæ filius Babylone Hierosolymam rediisse perhibetur anno septimo Artaxerxis regis Persarum, libro 1. Esdræ, cap. VII. hoc est, illius Artaxerxis anno septimo, cujus annus vicefimus in secundo Esdræ libro notatur. Saraïas ille autem sub Cyro rediisse ponitur, 1. Esdr. 2. relicto Babylone Esdra puero decenni, ut videtur; ac proinde impariter ferendis laboribus longi acceleratiq; itineris. Quod si sub Artaxerxe Longimano Esdras rediit, necesse est egressum fuisse Babylone annis post patrem quinquaginta octo, tuo quidem calculo; aut sexaginta sex, si omnibus historicis fides habetur: quod certe abhorret a similitudine veri. At in hypothese, quam P. Harduinus instituit, Hierosolymam redit Esdras post annos a reditu patris novemdecim, hoc est, natus ipse annos circiter triginta.

Præterea gazophylacium, quod est adificatum anno xxxv. Artaxerxis, nempe in fine dierum ipsius, teste Nehemia, cap. XIII, §. adificium est Templi ultimum, cujus sacra litteræ meminerunt. Didicimus autem ex Joanne in Evangelio, cap. 2, 20. cum sit pars ista Templi structa postremo, hanc illius adificationem anno quadragesimo sexto fuisse absolutam, ex quo facta primum fundamenta Templi fuerit; hoc est, ab anno Cyri primo Babylone regnantis. Non est ille igitur annus xxxv. Artaxerxis Longimani: siquidem annus Longimani tricesimus quintus distat a primo Cyri anno, ut tu quidem vis, annis nonaginta tribus: ut autem omnes historici ponunt, centum & eo amplius.

Dic, amabo, R. Pater, cum hypothese P. Harduini susceperis oppugnandam, cur de his argumentis, cur de similibus aliis multis, quibus Artaxerxen in sacris litteris memoratum suadet ille perspicue Longimanum esse non posse, verbum omnino nullum facis? cur ad hæc nihil reponis? Annon est caput illud controversiæ ejusmodi, ut si vincat ille hac in questione, necesse sit stare integram, quam assert, Danielis oraculi interpretationem? An vero mihi, an cuiquam alteri fas est dubitare, quin ea que de Artaxerxe tradit, alio longe ab Longimano Artaxerxe, verissima sint; cum te ad

hæc nihil ansum esse mutire intelligam? Artaxerxe autem isto deprehenso, & majores etiam ipsius feliciter deprehendit P. Harduinus: eoque invento mirificam historici Veteris Testamenti lucem affert: adeo ut quidvis visum est hæc in ea intricatum, jam per se sit expeditum & aptum: & sit Artaxerxes Artaxerxes, Assuerus pariter Assuerus, tum qui Darii Medi pater, & Assuerus Estheris vocatur, tum qui Astyagis filius; neque quisquam ex illis alio sit appellandus nomine, quam eo quod in divinis litteris habet: neque demum indulgendum sit inani conjecturæ, cujusmodi ea est, quæ dicit Smerdin magum esse fortassis Artaxerxen.

Sed ut omittam cetera, ut de Assuero Estheris nihil dicam, cujus ætatem ex sacris litteris, atque ex tempore belli quod Cyrus cum Croso gessit, sitque Macedonum quos commemorat Assuerus, adeo invictè statuunt P. Harduinus, ut instar demonstrationis esse caput istud oporteat; ut istud & similia, inquam, omittam; cum quidquid ille assert, ut doceat Artaxerxen, quem sacri codices commemorant, Longimanum esse non posse, istud sit ex sacris libris ac verbo Dei ipso petitur: atque ut hypothese P. Harduini, vel si solum sit, egregie constabit, sic tuam aperte subruat; cur istud omne dissimulas? Nam ab anno certe vicefimo Artaxerxis, cujus est apud Esdræ & Nehemiam mentio, usque ad natalem Salvatoris, anni sunt ccccxcix. usque ad obitum autem, xxxxi. Qui numerus annorum uterque multum excedit septuaginta hebdomadas.

Mirus autem es, cum Artaxerxen, cujus Esdras meminuit capite quarto, alium facis ab eo, cujus idem capite septimo meminit: & illum quidem, quoniam ante Darii regem fuisse ponitur, forte fuisse Smerdin magum ais, qui Cambysi successit. Quo autem argumento? Quoniam, inquis, pag. 179. „*Nomen Artaxerxis commune fuit pluribus regibus. Ex Herodoto Xerxes significat bellicosum; & Artaxerxes maxime bellicosum. Ita magus, qui occupavit sedem regni, potuit sibi tribuere illud nomen, vel sibi tributum accipere. Mos erat regum Persarum multis cognominari nominibus. Ex quo demum scriptore, quælo te, R. Pater, didicisti hunc morem fuisse regum Persarum? Vidistis in sacris litteris, aut apud Herodotum, Pliniumve, Cyrum, Cambysen, Darii, Xerxes, non uno eodemque semper nomine appellari? Nihil enim moror illos interpretes, qui hæc finere effugia, ut colorem aliquem afferrent falsis suis hypothesebus. Vetus tantum certumque hujus moris testem vel unum desidero.*

Potuit, inquis, magus, qui se Smerdin esse Cyri filium mentiebatur, Artaxerxes appellari: cur? Quoniam, inquis, Artaxerxes significat maxime bellicosum. Ergo, inquam ego, non potuit ille Artaxerxes vocari: nihil enim illo fuit inertius. At aliam causam ejus rei assers pag. 179. „*quia magus ille nominabatur Oropastes, (si Justino fides nimirum,) sive ut Ctesias loquitur, Tanyoxarxes: unde paululum immutato nomine, ut potuit obtinere, ut Artaxerxes vel Artaxerxes nominaretur: quod nomen commune fuit multis Persarum regibus. Primum quidem, R. Pater, falsos duos testes adducis, quorum nec consentientia inter se testimonio sunt. Ctesian certe merum esse fabulatorem hodie eruditi omnes fere consentiunt. Quamquam nec satis ille tibi splendide mentiri visus est, nec satis aperte tuæ favere conjectationi. Itaque ipsum quoque corruptissimè: & ais Tanyoxarxen apud ipsum legi, ut inde efficias, „*paululum immutato nomine potuisse eum obtinere, ut Artaxerxes nominaretur.* At non est in Græco Pseudo-Ctesia Tanyoxarxes, sed Tanyoxarces: quod nomen, siquidem in primis Persicum foret, a Tanyoxarces longe diversum esse oporteret. Sed fac alterum ei mago, vel Oropastæ, vel Tanyoxarxis nomen fuisse. Antequam rex foret, & se Smerdin esse, Cyri filium, fratrem Cambysis, mentiretur, id ei nomen fuit. At ex quo se Smerdin esse credi voluit, offende, si potes, aliud ei nomen, quam Smerdin, fuisse. Ne fabulatorum quidem quisquam e veteribus tuum illud commentum prodidit.*

Adde quod Artaxerxes ille, cujus sit mentio libro primo Esdræ capite quarto, habuit patrem & avum, Babyloniæ reges; ut ex versu 15. capitis illius colligitur; ubi ad eum sic scribunt Samaritæ: *Nunciarimus regi, ut recensens in libris historiarum PATRUM TUORUM; regum utique Babyloniæ; ad quos Hierosolyma scilicet*

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

scilicet facta vedigalis eodem jure pertinuerat, atque Artaxerxi. At ne Smerdis quidem etiam verus, Cyri filius, Cambysæ frater, quem se magus ille mentiebatur esse, patres habuit reges, sed unum dumtaxat, nempe Cyrum. Non fuit igitur Smerdis magus Artaxerxes.

Nec felicior illa conjectatio, cui subscribere videris pag. 159. (ut certe necesse est ei te subscribere, si priorem illam defendis, de Smerdi Artaxerxe;) ubi ais Cambysen esse Assuerum Estheris, qui & ab Esdra, capite proxime indicato, Cyro successisse ponitur. Nam qui potest ita esse, cum annos tantum septem Cambyses regnarit, annum autem Assueri duodecim sacra litteræ prodant in libro Estheris? Erras profecto, R. Pater, nesciens scripturas; ac minore eadem tractans reverentia, quam profanos scriptores & fabulatores tuos.

Vide ergo quemadmodum aliter respondeas P. Harduino, pro suo jure postulanti a te, ut certis argumentis doceas Artaxerxen, cujus annus septimus appellatur libro primo Esdræ, cap. VII. vicefimus autem libro secundo, cap. 2. esse (ut contendis) Longimanum Artaxerxen. Nam is post Darii regem ponitur in libro primo Esdræ a capite sexto: Darii autem post alterum (ut vis) Artaxerxen, qui commemoratur ibidem capite quarto, nec tamen Smerdis magus fuit, ut proxime demonstratum est. Atqui non habet in aliqua serie regum Persarum ante se Longimanum Darii & Artaxerxen, sed Darii dumtaxat & pseudo-Smerdin. Non est igitur Longimanus ille Artaxerxes, quem Esdras appellat. Nam hoc ordine Persarum reges appellantur ab Herodoto.

1. Cyrus.
2. Cambyses.
3. Pseudo-Smerdis magus.
4. Darius Hystaspæ F.
5. Xerxes Darii F.

His deinde subjungunt quæ satis certi scriptores Artaxerxen Longimanum, hunc Xerxis filium fuisse perhibent. At tu considerate feceris, si ad interpretandas sacras litteras, has ipsas dumtaxat cum P. Harduino, ut par est, consulueris: ut ex iisdem intelligas, primum quidem alios fuisse Babyloniæ reges de femine Medorum, alios Persas reges. Deinde, locutus esse sacros scriptores de regibus tantum Babyloniæ, non de Persis; nisi cum hi Babyloniæ etiam occuparunt: quoniam de his tantum loquuntur regibus, quibus Judæa obnoxia vedigal pendere cogebatur. Servi autem fuerunt Judæi regum Babyloniæ, non regum Persarum. Denique non alia fuisse à Cyaxare regum Medorum Persarumve nomina, quam quæ in sacris litteris appellantur. Ex his enim principis efficitur, primo quidem, hanc fuisse seriem regum Medorum ac Babyloniæ, quam contexit ex sacris litteris in sua Chronologia P. Harduinus.

1. Assuerus Medus, Cyaxaris F. Phraortæ N. De-jocæ pronepos. Dan. ix, 1. Esther 1.
2. Darius Medus, Assueri F. Dan. v, 31. Dan. ix, 1.
3. Astyages Darii Medi F. quo mortuo Cyrus Persarum regnum ejus suscepit. Dan. xiii, 65.
4. Assuerus, Astyagis F. 1. Esdr. iv, 6.
5. Artaxerxes, alter ejusdem Astyagis F. 1. Esdr. iv, 24.
6. Darius Hystaspæ F. qui cum Artaxerxe cepit Babyloniæ rebellem. 1. Esdr. vi, 24. &c.
7. Artaxerxes idem, Darii in Persidem recedente.
8. Xerxes denique, rex Persarum, Darii filius, Artaxerxe mortuo. Dan. xi, 2.

Sequitur deinde ex hac regum serie unicum apud Esdræ Artaxerxen esse, qui & ante Darii capite quarto libri primi, & cum Darii capite sexto, & post Darii capite septimo ac libro secundo commemoratur rex Babyloniæ. Sequitur præterea hunc Artaxerxen, cujus annus vicefimus libro secundo Esdræ notatur, Longimanum Artaxerxen esse non posse. Sequitur denique miserabilem esse eorum laborem, qui ut sacras litteras, de Babyloniæ regibus dumtaxat locutas, concilient cum profanis scriptoribus, quos de Mediæ regibus dumtaxat scripsisse perspicuum est; ut hos reges in

Part. I.

illis, vel illos in his vice versa reperiant, fingunt sine idoneo teste ac pro arbitrato geminum & quod lubet nomen nonnullis eorum regum fuisse. De Josepho tuo, R. Pater, nihil hic dicimus; quem conitatur, ut ipse confiteris, pag. 179. scripsisse imperite de serie Persarum. De ceteris vetustis scriptoribus quid dicere attinet, cum ipse agnoscat pag. 156. non convenire ipsos inter se de Balthasar & Darii Medi temporibus? Verum, ut diximus, neque hi à Christianis Judæis hæc de controversia consulendi sunt: soli sacri codices in consilium adhibendi. Sola scriptura distinguit, ut par fuit, tria regna, Medorum, Persarum, ac Babyloniæ. Sola de Darii Medo, & successioribus ipsius, Astyage, Assuero, & Artaxerxe, ob Babyloniæ, ubi imperitabant, fecit mentionem. Hac animadvertione solvit egregie & expeditè P. Harduinus proponi solitas adversus historiam illius temporis difficultates; quæ quidem tantæ impiis hominibus, ac deosculantibus profanos scriptores, videntur esse; ut dubia propterea iisdem videatur scripturæ fides, quæ cum his, ut solent accipi, nullo modo convenit.

§. XIII.

Vers. 25. *Usque ad christum ducent.*

AD sequentia prophetiæ verba veniamus, *Usque ad christum ducent.* Hoc loco christum ducent P. Harduinus belli ducent vocat: Christum Dominum tu è diverso dicitur intelligi oportere. Cur? Quoniam, inquis, „*in hoc vaticinio describitur verus Judæorum Christus.* Atqui hoc ipsum est in controversia, num extra eam sententiam, in qua Christus occidendus dicitur, Christi mentio in hoc vaticinio sit. Christi nomen solitarie positum, ut in vaticinio isto occurrit versu 26. Christum designat: at cum adjecto si ponitur, alium a Christo denotat. Sic Isai. xlv, 1. *Hæc dicit Dominus christo meo Cyro.* Et Saul christus Domini, sive Messias Domini appellatur; nec tamen est Christus seu Messias ille qui promissus est. Et quanto illa tamen locutio congruentior Christo videtur, quam ista, christus ducent? Nam si contendas istud alibi quidem, sed non in isto vaticinio verum esse; reponit Judæus, reponit quilibet eruditus, hoc esse veluti pro imperio statueret, quod ratione non possis obtinere; confundere dictiones, quas habere disparatam potestatem Spiritus sanctus voluerit: Danieli denique ipsi contradicere, qui ducent non vocat, nisi belli ducent, nec proinde Christum christum ducent potuit appellare.

Nam quod nihil interesse dicitur, quod in fonte Græco (ut hic appellat) dicitur *Χριστός ἕως αἰῶνος*, longe aberas, R. Pater. Christum enim ubique si vellet Angelus intelligi, Christum simpliciter, ut versu 26. ubique appellaret. Sæpe ostendere locum aliquem sacrorum codicum deberes, in quo *Χριστός ἕως αἰῶνος* de Christo diceretur. Hoc vero nunquam feceris. Sic neque Hebræum *יְהוֹשֻׁעַ* quod hic Græco nomini *ἕως αἰῶνος*, & Latino *dux* respondet, nec Deo aliquando in sacris litteris; nec verò Messia tribuitur. Et subsequente versu, ubi legitur, *cum duce venturo*, hoc ipsum nomen *יְהוֹשֻׁעַ* Hebræice ponitur, & Græce *ἕως αἰῶνος*: ubi perspicue vox utraque belli ducent designat. Ergo & ubi pro christo duce vox eadem ponitur, eidem voci vim eandem subesse existimandum est. Atque in eam rem testes etiam protulit P. Harduinus; tametsi nullos fere in ea Dissertatione appellat Auctores: quoniam cum adversus Judæos instituta disputatio sit, nullam illi fidem scriptoribus nostris habent. Protulit, inquam, Petrum Blefensem, libro 1. adv. perfidiam Judæor. cap. XIII, qui hæc verba, *usque ad christum ducent*, per ista reddidit, *usque ad Cyrum ducent*: secutus, ut aiunt, Petrum Alfonso, quem ex Judæo factum Christianum, ut diximus, sæculo duodecimo perhibent.

Judæi quidem nonnulli quondam christum ducent dicit de Messia voluerunt, atque eam vocem sic accipi à Christianis vehementer optant; sed gemina nimirum de causa. Altera est, quoniam credi volunt, eum qui expectandus est Messiam, ductorem exercituum fore, qui gentes suo subdat imperio. Altera est, quoniam suadere Christianis volunt, non oportere hebdomadas ad litteram explicari, sed spiritali tantum aliquo sensu, quoniam post septem hebdomadas verum ac simpliciter

appel-



P R Æ F A T I O,

appellatur Christum exhibere, ut prophetia (inquiunt) pollicetur, non possunt.

„ Tamen insitas iterum pag. 187. & ais: *Novus interpres, ut diximus, statuit eo tempore, quo Daniel cepit vaticinari, tunc effluxisse quadraginta novem annos ex septuaginta quos Jeremias prädixerat: & tunc fuisse in Media exortum Cyrum. Hoc est quod dicit: Sicut a vaticinio Jeremias ulque ad christi unius ducis live Cyri exortum fuere septem hebdomades, five anni quadraginta novem. Cyrus ergo ibi intelligendus nomine christi ducis, qui hactenus privatus, & modo exortus obversabatur animo Angeli. Rem qua occulta erat non retulisset Gabriel, sed magis obvoluisse tenebris. Neque enim Danielis cogitationem subire poterat Cyrus sic modo exortus. Esti enim in his regionibus ubi versabatur propheta, ille Cyri ortus ad ejus aures pervenire potuisset, quomodo intellexisset nomine christi ducis sibi ab Angelo significari Cyrum illum? Sed si intellexisset, cum statim Angelus indicet Christum occidendum esse, quomodo id de Cyro non interpretatus esset, sed de Onia? Attingis P. Harduino, R. Pater, longe alienam ab ejus mente sententiam: ac deinde contra larvam luciferi, quam ipse finxit: nec vim denique potestatemque nominum Hebraicorum nosti. Non dixit P. Harduinus, tunc cum Danieli oblata hæc visio esset, effluxisse annos quadraginta novem & septuaginta quos Jeremias prädixerat, & tunc exortum in Media Cyrum. Cum Daniel hoc vaticinium edidit, tunc effluxisse dicit annos non quadraginta novem, sed quatuor & septuaginta; non e septuaginta annis quos Jeremias prädixerat, sed ex septuaginta ipsis hebdomadibus: neque tunc in Media Cyrum exortum, sed primum hunc Cyri annum Babylone fuisse: annos autem quadraginta novem e septuaginta hebdomadibus effluxisse anno primo Cyri in Media. Dormitabas profecto, R. Pater, cum librum Patris Harduini legeres ac describeres, & cum adversus eundem argumentareris ex iis quæ descripseras. Vide enim quot res quam fœde confundas: annos cum hebdomadibus, Mediam cum Babylone, & alia. Annon igitur potuit Daniel rescire potuit esse Media Cyrum jam ante annos quinque & viginti? Non potuit igitur toto illo tempore vir religiosus ac pius, amans (ut vel ex hoc ipso capite nono apparet) sacrarum litterarum; non potuit ille, inquam, apud Isaiam legere, dici Cyrum christum Dei, qui captivitatem solveret, & Hierosolymam exiret cum Templo juberet? Annon & ipsius, & Judaicæ totius synagogæ intererat scrutari scripturas, ut hæc ibi perdisceret? Potuit ergo Angelus dicere Danieli: Quemadmodum ab initio hebdomadam computatæ septem hebdomades desinunt in annum primum Cyri christi ducis exorientis in Media: ita illius, inquam: (quo nomine diximus belli ducem significari:) sic ab eodem initio sexaginta duæ erunt hebdomades. Nam quod dicit pag. 170. semper Judæos expectasse magnum in christo nomine Christum designasse, nescio profecto quibus ex libris hauseris. In sacris certe libris non est, ut P. Harduinus adnotavit: cum tamen ex his dumtaxat peti adversus Judæos argumentationem oportet. Sed ea fingis audacter, quæ tux causæ putas prodesse.*

Paris imprudentiæ est, quod deinde rogitas: si Daniel Cyrum intellexisset nomine christi ducis, cum statim Angelus indicet Christum occidendum esse, quomodo id de Cyro non interpretatus esset, sed de Onia? Primum, fallum est dixisse P. Harduinum, hæc verba, *Christus occidetur*, de Onia intellexisse Daniele. Immo vero, de Christo dumtaxat intellexisse asseruit & probavit. Cur autem Cyrum ibi Daniel non intellexeret, causam ex dictis P. Harduino nosse debuisti. Quoniam scilicet non esset Cyrum Christus simpliciter ac sine adjecto, qualis in illa sententia est, *Occidetur Christus*: sed est dumtaxat christus dux, seu *dux*: quæ vox si vel semel in sacris litteris Christo tribuitur, vicisse te fautor.

Pergis tamen de illo Cyri exortu in Media litem movere P. Harduino, eadem pag. 187. „ Præterea, inquis, ille ortus Cyri eo præfate anno, quo primum regnavit Darius Medus, commentum est: quod forsitan non difficile esset confutare. Recte nunc semel atque nunc primum judicatis, R. Pater. Commentum istud est, & quidem absurdissimum: primum Cyri exortum in Media statueri, eo præfate anno quo primum Darius Medus regnabat. Nec difficile profecto est istud con-

futare. Sed cujus commentum istud est? Tuumne, R. Pater, an P. Harduini? si est istius, qua in editione ipsius Chronologia istud legitur? Duas enim adhuc vidi dumtaxat, Parisiensem, & Germanicam: Amstelodamensis brevi dicitur proditura. In illis autem, æque atque in specimine Chronologico, quod in fronte posui hujus responsionis, aperte ponitur exortus Cyri in Media, annis ipsis quatuor & viginti antequam Darius Medus Babylone regnaret. Doctæne severa Moralis impingente viris falsa crimina, ut ludibrio ipsi habeantur? Hoc tamen commentum adeo te offendit, & merito quidem, ut illud iterum obtrudas his verbis pag. 185. „ *Supponit Auctor eo tempore quo vaticinatus est Daniel, jam ex his septuaginta annis servitutis, quos prädixerat Jeremias, effluxisse XLIX annos, five septem annorum hebdomadas: & hocce tempus, quod Daniel signat, anno primo Darii Medii Cyrum Persarum Cambyses filium in Mediam exortum esse, & Mediam Alyagi eripuisse. Novam istam condidit historiam, quam utinam veterum scriptorum testimonio non satagi confirmare. Omnibus enim fidem derogat, solum Herodotum cum Plinio æquidem. Hæc commenta non impugnavo, &c. Commentum certe non est, Mediam Alyagi creptam a Cyro fuisse: cetera, R. Pater, commenta quidem, ut jam ostendi, sed tua sunt. Quæ tu nihilominus tertio inculcas, pag. 189. „ *Maxime, inquis, de exortu Cyri, qui nisi exortus sit in anno primo Darii Medii, elapsis XIX annis ab anno quarto Joachim, corrumpit omne novæ opinionis fundamentum. Immo vero, R. Pater, corruperet illud funditus, si Cyrum exortus poneretur, ut fingis, anno primo Darii Medii: aut si Darii Medii primum annus incidere in annum XIX ab anno quarto Joachim. Similia, credo, tibi videre visus es somnians commenta alia ejusdem scriptoris, quæ nempe fingebas, ut passim diceres, Hæc commenta non impugnavo, &c. Hæc signamenta impetenda essent, &c. Et paulo antea: *Omnium (ut liquido loquar) errorum, quibus sciet novus liber (quorum tamen nullum ostendis) rescandis capitibus, nec unus sufficit Hercules, adeo multiplicia sunt: quæ nempe fingis animo, R. Pater, nec prodere audes, vel indicare.***

Quod enim ei succenses, tum hoc loco, tum pag. 188. quod in Chronologia Veteris Testamenti nulla adhibet monumenta, præter Latinam editionem *Vulgatam*, & scripta Herodoti Plinique, primum quidem, si solam adhibeat testem scripturam sacram, num propterea minus credibilia tibi narrare videbitur? At etiam falsa hæc criminatio est. Nam & eclipses solis ac Lunæ, & Kalendarium Judaicum, quod receptum usu fuisse saltem a Mosis temporibus arbitrat, & nummos denique veteres, ubi locus his est, subsidio vocat; & his certe subsidiis fat erudite utitur. Deinde nec satis est æqua tibi, R. Pater, succensendi causa, si e profanis scriptoribus, præter Herodotum Pliniumque, (quorum gravissima apud homines vere eruditos auctoritas est, & cum sacris codicibus egregia ubique consensus,) non alios etiam P. Harduino scriptores adsciscat, qui ne inter se quidem ipsi consentiant. Jure enim is arbitrat Chronologiam Veteris Testamenti, quæ solis nititur sacris codicibus, & cum hoc scriptorum pari, ceterisque appellatis testibus, conveniat, abunde esse communitam. Alias hypotheses alii struant interrim, qui nullo Auctorem discrimine habito, omnes idcirco rati esse optimæ notæ, quoniam nemini adhuc venit in mentem de his censuram agere; ex pluribus (ut appellant) Romanensibus fabulis, secum sæpe pugnantibus; novas adhuc ingeniose cudunt, novis aditis conjecturis: perinde quasi nondum sit satis hujuscemodi fabulis orbis oppletus.

§. XIV.

Versu 25. *Hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.*

Sequitur in hoc vaticinio septuaginta hebdomadam Spartio in hebdomades septem, & in sexaginta duas, ab ultima hebdomada sejmctas: quæ nec est frustra profecto aut temere instituta partitio: nec alium potest habere intellectum, quam quem exhibuit P. Harduinus. Hoc fuit, inquam, dicere, primum quidem, & septem, & sexaginta duas esse eventus aliquo singulari claudendas

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

claudendas five finiendas. Et septem quidem computari oportere ante sexaginta duas; non ut quibusdam placuit, quoniam novam ac propriam hypothesim euderent, post eadem. Hoc est deinde dicere, unde hebdomades septem computantur, inde & sexaginta duas computandas esse; hoc est, ab eodem exitu sermonis ut verum adificetur Jerusalem. Ab anno quarto Joachim regis Juda, & vaticinio Jeremias, computandæ sunt hebdomades septem: ab eodem anno petendum initium similiter sexaginta duarum est. Nam ob eam rem dixit Angelus, *Ab exitu sermonis illius & hebdomades sunt septem, & hebdomades erunt sexaginta duæ.* Hoc est præterea dicere, & in fine septem hebdomadam, & in fine sexaginta duarum christum ducem occurrere: alioqui non diceret Angelus, *Ab exitu sermonis ut iterum adificetur Jerusalem, usque ad christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.* Deinde (quod dignum est notatæ, quamvis a te prætermisum) nisi christus dux aliquis post septem hebdomadas venturus diceretur, non appingeretur post hæc verba, *usque ad christum ducem hebdomades septem*, in Hebræo fonte Grammaticus accentus athnach, qui membrum orationis distinguit a subsequente; & quem punctis duobus Latine Pagninus expressit: per virgulam, Latine interpres.

Hoc est denique docere, cur statim abbreviatas hebdomadas septuaginta dixerit. Habeto enim, inquit, in mente septem hebdomades, & sexaginta duas, & unam hebdomadam. Ex hoc existeret numero hebdomades septuaginta credis: & recte quidem: sed abbreviatas esse septuaginta noris. Quo vero pacto? si nempe ab eodem initio five anno, & septem numeroferentur, & sexaginta duæ. Si quis exempli gratia, initio hujus sæculi, hoc est, anno mdc. vaticinando dixisset: Erunt ab hoc anno usque ad novum Regem anni decem, & anni quadraginta tres. Credis annos hic numerari tres & quinquaginta. Tot sane sunt, sed abbreviati. Nam ut sunt vaticinia subobscura, sensus istius est: ab exitu hujus sermonis, quem prolatum ponimus sæculo hoc ipso inente, usque ad novum Regem Ludovicum XIII. anni decem: usque ad novum alterum Regem Ludovicum XIII. anni quadraginta tres. Quis non ex eventu jam saltem intelligit, & annorum decem, & annorum quadraginta trium, esse idem initium putandum, nempe sæculum decimum septimum iniens: neque propterea quinquaginta tres annos esse, nisi abbreviatos? Quibus autem plus sagacitatis esset, si potuisset statim ex vocabulo abbreviati subolere hanc interpretationem; si pariter positi fuissent in eo vaticinio, *Quinquaginta tres anni abbreviati.* Nam si usque ad annum quinquagesimum tertium expectandum posterior eventus esset, anni quidem forent quinquaginta tres, at non abbreviati. Eadem plane vaticinii, quo de agitur, obscuritas subtilitate, idem etiam intellexit est.

Quæ tua autem, R. Pater, horum verborum interpretatio est? *Quia, inquis, pag. 171. per septem primas hebdomades, ut infra videbimus, illud fieri contigerit, quod ibi prædicitur Angelus, Et rursus adificabitur platea; hoc est, Jerusalem, quæ nunc est veluti area desolata, restaurabitur: sed muri in angustia temporum, scilicet excitabuntur. Novo enim operi plures adversabuntur, ut videre est in secundo libro Esdræ. Igitur cum de septem primis hebdomadibus seorsim quidpiam prædicere vellet Gabriel, earum puta spatia plateas esse ordinandas, & urbem cingendam: partitus est intervallum sexaginta novem hebdomadarum: & septem primis desinit spatium, quo Urbis instauratio plane absoluta esset. Muri quidem urbis quinquaginta diebus absolutus est, ut habet liber Nehemias. Sed præterquam non intelligendum sit, ita cinctam urbem, ut omnino non pateret hostibus suis &c. domus etiam tumultuario opere antea exstructa in meliorem formam directis ordinibus merande fuerunt, ut observat clarissimus Huettius.*

Censet igitur, R. Pater, partitionem illam hebdomadam ab Angelo factam fuisse, ut doceret, septem prioribus adificandam civitatis plateam atque muros. Lege fodes iterum mecum vaticinium: *Ab exitu sermonis ut iterum adificetur Jerusalem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursus adificabitur platea, & muri in angustia temporum.* Dic, amabo, si anno, ut ponis, vicessimo Longimani Artaxerxis prima cepit hebdomas numerari; diceretne Angelus tunc adifi-

ficandam esse plateam civitatis, hoc est, extruendas aedes, quibus exadificandis exornandisque Hierosolymitani cives jam annos five octoginta quatuor insumpserunt, qui tuo quidem calculo; five nonaginta duos, qui (ut alii numerant) ab anno Cyri primo, ad illum Artaxerxis vicessimum effluerunt? Et cui demum quinquaginta duæ hebdomades adificandæ simpliciter aedes civitatis Angelus polliceretur; de dirigendis in meliorem formam ædium ordinibus, quæ prius tumultuario opere essent exstructæ per annos amplius octoginta, fuisse tunc locutum? Non istud est prorsus ariolari? non est istud aperte verba vaticinii per vim in absurdum pertrahere sententiam, quæ tux hypothefi serviat? Animadvertite potius, in hac oratione cum hebdomadam sexaginta duarum mentione conjungi adificationem plateæ & murorum; quoniam videlicet ad has illa adificatio, non ad septem priores, pertineret. Intra tempus illud, inquam, quod sexaginta duabus hebdomadibus continetur, exornata ædibus, ac plateis, mutis ac turribus communita civitas est; nempe ab anno Cyri primo vel altero, usque ad Antiochi Epiphaniæ tempora. Et platea quidem ante muros: quoniam iussu Artaxerxis, non Longimani quidem, sed Babyloniæ, intermissa murorum adificatio est, ab anno ejus primo usque ad vicessimum. Sed & platea & muri, dum sexaginta duæ hebdomades laborentur, absoluti omnino: neque muri tantum, ut arbitraris, in angustia temporum, sed platea æque ac muri. Nam cur quæ Deus conjunxit, tu separas? *Angustia temporum*, ut ex Hebræo sermone constat, difficillima tristiaque sunt tempora; & ut sacre littere loquuntur dies mali: quos prædicit Angelus fore per illas hebdomadas sexaginta duas: ita ut has ultima longe tristior & calamitosior subsecutura deinde esset, Templo profanato, direpta civitate, civibus cæcis ac maciatis.

Ex quo nimirum Nabuchodonosor rex Babyloniæ Judæam subdiderat ditioni suæ, adegeratque Hierosolymitanos ad solvenda sibi tributa, Jeremia sic testante, Thren. 1. *Princeps provinciarum facta est sub tributis: ex eo, inquam, reges Babyloniæ eandem tribuci legem imposuere Judæis.* Eam ob rem hostes Judaicæ populi ad Artaxerxem Babyloniæ regem a Cyro tertium scripsere, uti narratur libro 1. Esdræ, cap. iv. *quæ si civitas illa adificata fuerit, & muri ejus instaurati, tributum, & vestigal, & annuus reditus non dabunt.* Videbatur istud Judæis intolerabile jugum: cui obnoxios tamen eosdem fore usque ad finem septuaginta hebdomadam, Angelus admonet. Ipsi reges enimvero Syriæ, quod essent iidem reges Babyloniæ, ut de Antiocho dicitur, libro 1. Mach. cap. vi. 4. pari potiebantur dominio ac jure: uti perspicuum est in primis ex cap. 111. versu 29. ejusdem libri. Neque se Judæi in pristina libertatem vindicarunt, nisi sub Simone summo Pontifice, & sub tutela tamen Romanorum, ut patet ex libro eodem, cap. xiv. 26.

Neque enim audiendus est Josephus ille tuus, qui Daniele dicit felicia omnia denunciasse Judæis, non eventa perpeffu aspera, ut ceteri prophetæ fecere; libro x. cap. 2. Nam cum Daniel vehementer averet scire, num tempora captivitatem liberationemque a servitute proxime consecutura, & felicia futura essent, & diuturna; duo perdiscit ab Angelo: Alterum, quantumcumque pacis tempus illud esset futurum, non tamen ab angustia immune, a curis, a tributis fore. Alterum, septuagesima denique de hebdomadibus abbreviatis vastandam diripiendamque esse cum æde sacra civitatem.

§. XV.

Versu 26. *Et post hebdomades sexaginta duas,*

In verbis sequentibus, *Et post hebdomades sexaginta duas*, valde nutare intelligis demonstrationem tuam. Nam occisum esse Christum nullo modo vis nisi post hebdomadam sexagesimam nonam: cum tamen post sexaginta duas occidendum esse propheticus sermo affirmet. Qui si sexaginta novem hebdomadas vellet intelligi, diceret profecto, non sexaginta duas, sed sexaginta novem. Nam quod ais pag. 172. hæc verba sic intelligenda esse, quasi dixerit Angelus, post antedictas hebdomadas sexaginta duas, & antedictas cum in-



P R Æ F A T I O;

dicaret, intelligi voluisse sexaginta duas conjunctas cum septem; idque demum ex Græca interpretatione com-

monstrari, quæ sic habet: ἡ μὲν τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξήκοντα δύο: Primum quidem insitiam prodis Græci sermonis, cujus sententia non ea est quam comminisceris. Deinde adjectis ad verba prophetiæ interpretationem maxime controversam. Nam cum septem prius æque ac sexaginta duas Angelus commemorasset, si septuagesimam voluit designare, æque septem illas complecti eum in summa oportuit, ac sexaginta duas; & post sexaginta novem hebdomadas dicere. Quod sic Græce pariter expressisset, ἡ μὲν τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξήκοντα ἐννέα. Sed cum nonnisi sexaginta duas Angelus dixerit, haud dubie nonnisi sexaginta duas voluit intelligi.

At Aquila & Symmachus numerum integrum posuerunt, inquit: nempe. Post septem & sexaginta duas hebdomadas: sive codex quo uterentur sic præserrerit; sive sensum Danielis expresserint. Qui genus, aut unde domo Symmachus & Aquila sint, minime nosti, R. Pater. Sed quicumque demum hi sint, hos Judæi testes recusant. Hic solo codice Hebræo standum est, & Latino interprete. Hebræo quidem, quoniam hunc unum Judæi agnoscunt: Latino, quoniam ea sola Catholicis scriptura authentica est. Habeant sane Symmachus & Aquila, ἡ μὲν τὰς ἑβδομάδας τὰς ἑξήκοντα δύο, post hebdomadas septem & sexaginta duas: an fidem his habendam putas, primigenio fonte neglecto? Nam ipsi habenda fides Eusebio est, quo uno teste id perhibetur, libro VIII. Demonstr. Evang. pag. 397. cum idem asseveret, sic pariter in Græcis codicibus vulgo legi, quod nemo nescit esse falsissimum? Ausim proferte Chryostomum, in oratione tertia contra Judæos, pag. 488. quoniam in suo codice Græco legit, Post hebdomadas septuaginta, ἡ μὲν τὰς ἑβδομάδας ἑβδομήκοντα? Hanc tu certe desereres, quoniam hypothesi tuæ adversatur. Chryostomo autem quo jure Eusebium anteponas? An te Bibliorum Cardinalis Ximenii auctoritas commoveret, in quibus legitur. Post hebdomadas sexaginta quatuor, ἡ μὲν τὰς ἑβδομάδας ἑξήκοντα τσσαεξς? Quid porro tot tamque insolite varietates probant, nisi excogitatas eas esse ab iis hominibus, qui cum suæ hypothesei verba hujus vaticinii, ut sunt in Hebræo fonte, Vulgatoque sive Latino interprete, hoc est, qualia sunt apud Judæos & Christianos Catholicos, refragari intelligerent, conati sunt eadem emendare pro sui quisque systematis ratione? Intellexere omnes nimirum, sexaginta duas, quantumlibet quæquam contra nitatur, esse tantum sexaginta duas. Itaque ut quod ipsi vellent, ibi legentes intelligerent, alius alium pro arbitrio numerum addidit.

Ad aliam autem confugis conjecturam, priori diffusis, his verbis: „ Præterea dici potest, Angelum numerare illas sexaginta duas hebdomadas, a tempore quo jam præterierint septem primæ ex septuaginta hebdomadibus: ut sensus sit: Postquam septem primæ hebdomades, (quæ vel subintelligenda, vel ab illarum sine numerat sequentes: ) & sexaginta duas hebdomades transierint, in septuagesima occidetur Christus. Ais dici posse, subintelligi quiddam hoc loco, quod tuæ hypothesei profuit. An non melior autem apud æquos judices causa erit illius, qui nihil subintelligendum, nihil sacro sermone adiciendum, nihil ab eo demendum asserimet? Unde id autem accepisti, R. Pater, quod ais pag. 181. vaticinio isto Christi mortem assignari in medio hebdomadis novissimæ, sive septuagesimæ? Nimirum ut tuo quidem calculo incidat illa in annum xxxiiii. æræ Christianæ. Sed adeo nihil dicit simile prophetia, ut perspicue satis contrarium asseveret. Inferendam Christo necem sua æque oportuit nota consignari, ac cetera quæ ibi prædicantur eventa. In medio quidem postremæ hebdomadis defectura hostia dicitur & sacrificium: sed prius, ac statim post finitas hebdomadas sexaginta duas, ac proinde ipso initio seu primo anno hebdomadis septuagesimæ occidendi oportet hic dici Christum. Hunc occidendum post hebdomadas sexaginta duas facit scriptor ait: cur de tuo adjectis, in medio hebdomadis septuagesimæ? Cum ille dicat Christum occidendum post finem hebdomadam sexaginta duarum, cur tu hanc necem differis usque in annum quatum hebdomadis ultimæ? Dices igitur ex hoc loco quod. Primum, claudicare etiam hac parte demonstrationem

quam promissisti. Alterum, tempus indicatum in vaticinio incidere in ipsum tempus, quo interfecus est Onias: non in annum quo Christus est reipsa occisus: tamen Christum, Christum appellando, voluerit Spiritus sanctus intelligi: designatamque tamen in morte Oniæ tunc interfecus mortem Christi postea futuram.

§. XVI.

De ea particula oraculi, Occidetur Christus.

Ed ad partem oraculi potissimam demum veniamus. Ais pag. 172. Marshamum hoc loco legisse, Peribit unctio: secutumque eum esse Septuaginta interpretes, Eusebium, Tertullianum, Aquilam: cum in Hebræo legatur, & in Vulgata versione, Occidetur Christus. Qua fronte ergo Marshami vestigiis, R. Pater, insilire P. Harduinum asseris; cum is neglectis Græcis interpretibus illis tuis Septuaginta, ceterisque omnibus, uni editioni Vulgatæ & Hebræo codici adhærescat?

Sed egregia conjectura tua est, dum invulgatis, quæ causa impulit Septuaginta interpretes, quemadmodum arbitraris, ut pro Christi nomine hoc loco unctio nem supponerent. Scilicet cum vix adduci possent Judæi, inquit, ut crederent quod oportebat Christum pati, potius intellexerunt, (ut Eusebius interpretatur,) de futuris summo Pontifice, qui vix uncti essent. Sic licet non pateretur nomen Hebræum ἁγιος, cui respondet solum nomen Græcæ, Christus, verteretur χριστος, ut animam advocaret ab ea cogitatione, quod Messias quem sperabant redempturum Israël, tamen esset occidendus. Quid ais, ô bone? Fuere igitur ex eorum numero Septuaginta Interpretes, qui vel Messiam occidendum non crederent; vel ne crederetur, falsandam esse potius scripturam sacram censerent? Quid? Quos fuisse prophetas Augustinus censuisse creditur, hos tu ais fuisse falsarios? Animos illi avocatur, corruptis de industria sacris litteris, ne de Christi nec cogitarent legentes? Quo ergo jure pertendis alibi, Græcos codices editioni Vulgatæ antepondendos esse? Cur crimini veritatis P. Harduino, si authenticam solum scripturam corruptis in re tanti momenti codicibus anteponat? Nisi forte sic te geris, R. Pater, quia nihil habes certi quod statuas; nec plures Latinos facias quam Græcos: idque sit unum tibi propositum, ut is utare pro arbitrio, qui tuæ magis hypothesei favent.

Atqui in hac voce Christus præcipue insistendum P. Harduinus admonuit, cum adhibetur hæc prophetia adversus Judæos. Nam ea, ubi sola ponitur, uni Messia convenit, quem Judæus adhuc venturum expectat. Est ille Messias sive unctus per excellentiorem quamdam significationem verbi hujus. Sunt alii quidem christi sive uncti: sed vel ad regandos exercitus, ut is quem christum ducem Daniel vocat: vel ad sacerdotium, ut qui sunt de genere sacerdotum sacerdotum, 2. Mach. 1. 10. At Christus simpliciter, sive Messias, Messias ipse & Christus est. Hoc Christiani prædicant, nec Judæi possunt disiteri: siquidem & libris eorum & traditione continetur. Nam ad libros quidem, hoc est, ad locum istum quod attinet, P. Harduinus præmonuit, non posse vocem Hebræam aliter verti eo loci, nisi reddito Christi vel Messia nomine. Hoccine dixit Marshamus alicubi? Addit idem Harduinus, Vulgatum interpretem, sive divino instinctu, ut alibi passim, sive ex traditione Ecclesiæ, acute vidisse, non posse vocem Hebræam reddi hoc loco aliter quam Messia vel Christi nomine, tamen punctis Hebræis necdum inventis. Num & istud dixit Marshamus?

Eadem porro vis est doctrinæ illius quæ per manus tradita est apud Judæos. Est autem illa adeo vetus, ut eadem apud Samaritanos quoque vigeat, atque adeo Roboami schisma antecedit. Nam eam ob rem aiebat Samaritana mulier, apud Joan. cap. iv. 25. Scio quia Messias venit. Hic igitur potissimum harere disputationem oportet. Adigendum Judæus est, ut ostendat aliam hac voce personam, quam veri Messia, si vox ea absolute ponatur, in sacris litteris designari. Huic voci, Christus, etiam in communi sermone hanc unam significationem Judæi tribuunt: hanc igitur unam habere etiam hoc loco fateantur oportet, nisi proferant aliam quam ex libris sacris locum, in quo Christus absolute positus alium a Messia indicet. Fieri autem istud certe non

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

non potest. Messiam igitur vox illa designat. Deinde ad genuinum horum verborum sensum erudendum, Christus occidetur, ponenda quædam principia sunt; de quibus necesse est convenire viros prudentes, nec vitiligatores.

Primum est, habere hanc vaticinationem, ut alias pleraque, nonnihil obscuritatis: atque has ipsas voces esse subobscuras, si cum hebdomadibus componantur: siquidem harum calculum cum Christi nec conciliare nemo adhuc ex interpretibus sic potuit, ut eruditus satisfaceret. Aspersa hæc autem obscuritas idcirco oraculo huic videtur, ut lateret Judæis, quemadmodum ex eo colligeretur verum Christi passionis tempus, donec excinderetur a Vespasiano Templum cum Urbe. Alioqui enim, si desinbat aperte septuaginta hebdomades in illud tempus quo Christus est occisus, ut ponis; (hanc enim pertendis viciorem esse, tuamque sententiam; tamen consisteris persequere finem hebdomadam conjicere in supremum tempus cladis Hierosolymitanæ;) sed si in tempus incidit illata Christo necis hebdomas supra, cur non eam aperte adhibere facerit scriptores argumentationem adversus Judæos, ut Jesum probarent Christum esse? Cur cum Judæos Paulus revincerebat publice, ostendens per scripturas esse Christum Jesum, Act. xviii. 28. non est perspicue proditum, cum isto usum esse argumento? Fuisse enim istud sane firmissimum, si dici vere posset, cum qui se Christum esse dixisset, vere pro Christo vel eo indicio habendum esse, quod illata ei nec esset eo ipso tempore, quo interficiendum Messiam Daniel ipse tanto antea prædixisset. At nihil hujusmodi in scriptis Apostolicis se offert: quæ quidem omnia apparet minime dubiis argumentis scripta fuisse ante supremum Templi excidium. Viderunt igitur sacri scriptores, non eo oraculo annum designari, quo esset Christo inferenda nec: sed expectandam esse supremam Templi cladem; ex qua colligeretur, dici in hoc vaticinio prius fuisse Christum interfecum. Adde quod si perspicue patuisset Judæis, quo tempore Messias reipsa occidendus esset; nullus dubito, quin multi et Judæis ea supra hebdomade, inani gloria ducti, ut Christi haberentur, sive adversus Romanos gentiles seditione facti, pulcrum opinione sua mortem in bello quaesissent: sive acri reprehensione vitiorum, concitato in se suorum odio, martyrii laudem affectassent. Quos inter, si forte veri Numinis cultai promovendo studere se singuli profiterentur, quo posset indicio (exceptis miraculis) verus a falsis Christus scerni? Ergo hanc quoque partem vaticinii, tum ob has fortasse causas, tum ob alias quæ latent, oportuit esse obscuram; sed veram tamen, siquidem Dei summe veracis vox ea est.

Sic ergo temperata oratio est, ut & Christi necem prædicat, nec tamen necis tempus designet, nisi ex eventu insigni, necem illam in ea ipsa generatione, quæ hanc vim Christo intulerit, subsecuto; ut Christus admonuit, Matth. xxiv. 34. Igitur non alia potest subesse sententia huic vaticinio, præter istam: Post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus: hoc est, Post sexaginta duas hebdomadas occidetur is, qui ostendit in se Christum similiter aliquando occidendum esse: Templo post ejus mortem profanato, ut erit post Christi necem excidendum. Post illud, inquam, tempus sexaginta duarum hebdomadam, illata nec viro sancto & summo sacerdoti, fidem tibi faciet, sic omnino vere occidendum esse aliquando Christum, qui nunc ἐξοχλῶ Christus est.

Cogit enim se interpretari causa multiplex: tum quia non oportuit, ut diximus, tempus necis inferendæ Christo omnibus in ea gente ante supremam Templi cladem esse ex hoc vaticinio perspicuum: tum quia tempus sexaginta duarum hebdomadam mortem Oniæ summi Pontificis proxime antecedit; congruitque eximie cum eo eventu tempus; tum denique quia verum nihilominus de Christo vaticinium esse oportet. Deinde quoniam Templi profanationem istam, quæ sub Antiocho post mortem Oniæ contigit, intelligere Judæos oportuit post supremam sub Vespasiano cladem, figuram hujus fuisse; ita eisdem colligere oportuit, necem illatam Oniæ ante eam profanationem, typum fuisse necis haud abhinc illatae alicui; qui vere Christus esset, ante supremam desolationem.

Non est istud autem simpliciter dicere, ut arbitraris,

Oniam fuisse Christi figuram. Nam id gratis dici Judæi reponerent. Negant enim hodie illi, cogi se credere, si quis asserimet, Davidem, Salomonem, aliove insignes Veteris Testamenti viros, figuras Christi fuisse; siquidem istud aperte sacra litteræ Veteris Testamenti non asserunt. Et convinci tamen ab homine perito sacrarum litterarum possunt: sed non istud in præsentia agitur. Quod contumaciores e Judæis possunt negare, supersedet ab eo proferendo P. Harduinus. Non dicit, inquam, solummodo Christi figuram Oniam fuisse. Dicit non posse Judæos id in ista vaticinatione Danielis non perspicue agnoscere: cogi eisdem dicit ex hac prophetia probe intellecta, in morte Oniæ summi Pontificis prædictam ac representatam Christi mortem fateri: siquidem coguntur Christi nomine Christum seu Messiam agnoscere; necem vero ibi prædictam in Onia Pontifice quodammodo exhiberi, siquidem post sexaginta duas hebdomades contigit, quod est necis Oniæ tempus, quamvis Onias Christus non sit, ut inter eos convenit. Effic enim certe inde necesse est, habendam esse a perspicacibus viris, quales oportet esse Magistros, qui scrutantur scripturas, necem illatam Oniæ Judæorum Pontifici, pro figura sive imagine quadam necis olim Christo vero Pontifici Judæorum ac gentium inferendæ: nec aliud his verbis significari, Et post sexaginta duas hebdomadas occidetur Christus. Excogita aliquid, R. Pater, si potes, quod Judæis suggeras, ut vim hujus ratiocinationis eludant. Stabit illud interim, non ingeniosam magis quam solidam interpretationem eam esse: ceteris omnibus interim vel eo nomine antepondendam eandem esse, quod nihil opponi contra posse videatur: cum cetera omnes incurant in maximas & inextricabiles difficultates, sive ratio temporum, sive ipsa prophetiæ verba spectentur.

Non potuit igitur, ut admonuit P. Harduinus, adhiberi adversus Judæos ex eo vaticinio ducta ratiocinatio, nisi post excidium Hierosolymitanum: eamque ob causam usurpata non est a sacris scriptoribus. Docet enim illa perspicue, quemadmodum ante profanationem Templi summus sacerdos, vir religiosus & sanctissimus moribus est occisus, in quo nec inferenda Christo representata est & adumbrata; (neque enim alium sacerdotem quæri finit, præter Oniam, ratio ipsa temporis oraculo indicata; nempe post sexaginta duas hebdomadas:) sic perfectum Templi excidium antecessisse necem probo alicui viro illatam, qui Christus esset: hunc proinde quæri oportere quis fuerit. Adsignari vero alium non posse, præter Jesum, facile fuit evincere. Itaque post Hierosolymitanam cladem potuit omnino contorqueri adversus Judæos hæc ratiocinatio ex oraculo eo petita: ad id quod ex ea efficitur admittendum cogi tunc facile si potuere, possuntque etiamnum commode: nisi forte viam qua evadant commotiores. Furi enim ac risu dignum, ut ex antea dictis patet, recentiorum quorundam Judæorum effugium est: Christi nomine vel Ismaëlem Elifai filium, vel (si Josepho potior fides habenda) Phinees filium Samuelis, Pontificem Hierosolymorum novissimum ab Idumæis, vel Agrippam regem a Vespasiano occisum: quæ sunt fabulæ duæ, altera a Josepho conficta, a Rabbiniis altera.

§. XVII.

Onias a calumnia P. LAMYI vindicatur.

Cur autem, R. Pater, adeo in P. Harduinum exarsisti, ut etiam in Oniam, virum sanctissimum, quem mirifice prædicat, tuæ virtus acerbis evomeres? Sic enim ais, pag. 182. „ Protinus dicam, quis sit ille Onias, quem Daniel inquitus est, si credimus novo interpretamento. . . . Audiamus ipsorum scriptorem libri Machabæorum, (lib. 2. cap. 17. v. 32.) qui sic loquitur: Ratus autem Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa & templo furatus donavit Andronico, & alia vendiderat Tyri, & per vicinas civitates. Quod cum certissime cognovisset Onias, arguebat eum, ipse in loco tuto se continens Antiochiæ secus Daphnen, ἡτοιμασθησθε εἰς δαπλον ἡτοιμασθησθε εἰς δαπλον ἡτοιμασθησθε εἰς δαπλον: id est; cum se subduxisset in asyllum quod erat in Daphneio Apollinis templo; juxta Antiochiam, quæ urbs ob viciniam



P R A E F A T I O,

hujus sani reperitur saepe dicta... Antiochiam, inquit, est Daphne ad stadia quadraginta mediocrius vicus, & lucus ingens & opacus...

Maeste, R. Pater, doce heterodoxos, summum Judaeorum Pontificem, quem ut virum sanctum & inter caelites positum mirifice commendat scriptor libri secundi Machabeorum...

At quis te docuit, in fanum idolo cuiquam dicatum, pedem aliquando Oniam intulisse? aut ut dicis pag. 181. interfectum in Templo Apollinis, cuius in asylum se receperat...

At Strabo dicit esse ἀστυλον τῆς πόλεως. Quid tum deinde? Num tibi Strabo pluris est, quam scriptor facer, qui locum tutum dumtaxat in hac re commemorat? Sed ne Strabonem quidem ipsum male locutum aio...

At veluti retentens ea quae prius dixisti, Eximiam

fuisset virtutem Onia non dissimulabo, inquis pag. 183. Scriptor libri secundi Machabeorum appellat eum, (cap. xv. v. 12.) virum bonum & benignum, reverendum visu, modestum moribus, & eloquio decorum...

Sed quisquis fuerit Onias, inquis, (hoc est dicere, five vir sanctus fuerit, ut scriptori libri secundi Machabeorum visum est, five non fuerit) extra Hierosolymam passus est: quod non congruebat Christo, qui reus mortis judicandus erat ab ipsis Judaeis...

Pergis tamen, pag. 183. Daniel manifeste dicit, post mortem Christi qui occidendus erat, abominacionem in loco sancto statuendam, excidendam urbem cum templo, & dissipandum populum...

MORTEM Onia deserendus eras, siquidem non reus: neque enim Judaei urbe expulerunt Oniam, sed ipse fugerat Jerusalem Menelai quem arguerat, & cuius rogatu ab Andronico interfectus est.

CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

dicere eum oportuit, ut intelligeretur Onias Christi typus. Nam quod dicitur Danielis vaticinio, subsecutam esse desolationem post Christi necem, verum est: quod tu tamen expedire non potes quemadmodum re ipsa contigerit.

Expulsum deinde a civibus negas Oniam fuisse: coactum fugere confiteris. Dic, amabo, quid est vitiligare, si hoc non est? Quid enim interest? Annon etiam constat ex sacris litteris agnitione ejus loco Pontificem Jafonem a populo Judaico?

At tu, R. Pater, ne sit hic aliquis typo alicui locus, atque ut suadeas solum supremum aedis & urbis excidium sub Vespasiano in vaticinio Danielis describi, ipsa sacrae scripturae verba adulteras & corruptis. Ais enim, dici peripetice eo oraculo, „excidendam urbem cum templo, & dissipandum populum.“

De Onia quod Josephum purgare conaris, frustra laboras: cum ipsum tu quoque fatearis, seriem Pontificum, annos magistratus ab unoquoque gesti, ac successorem eorumdem subinde pervertisse, idque PERTAVIUM quoque animadvertisse: Oniam necem ab eo post annis ipsis quinque priusquam obiisset eundem referat facer scriptor libri secundi Machabeorum: denique defunctum Oniam simpliciter ab eo dici; quod verbum nemo nisi de naturali ac necessaria morte acciperit: cum necem ei tamen illatam prodant sacrae litterae.

§. XVIII.

Versu 26. Et non erit ejus populus qui eum negaturus est.

Sequitur in Vulgata editione; Et non erit ejus populus qui eum negaturus est. In Hebraeo autem fonte, & non erit: hoc tantum. Hoc est, nemo futurus est ei adjutor: suum erga illum studium profiteri audebit nemo.

stinctu, putem. At primum quidem non Vulgata editio, sed solus codex Hebraeus adversus Judaeos adhibendus est. Deinde ea ipsa oratio sic est Spiritu sancto dirigente temperata, ut utrique conveniat, & figurae, & veritati: Onia Pontifici, & Christo Servatori; sed proportione quadam. Hoc est, Onia quidem minus perfectio sensu, ut diximus, sed probabili tamen. Nam re ipsa fuit ille desertus a suis, atque ab ipsomet fratre suo Jafone proditus, qui ambiebat summum sacerdotium, 2. Mach. iv. 7. At Christo Domino longe perfectius, hoc est, secundum vim eam omnem, potestatemque, quae subest huic voci, negaturus. Quo etiam argumento intelligere legentes oportuit, Christum re ipsa alium ab Onia fore; quem designaret ipse tamen Onias occidendum; & tanto indignius deserendum a suis, quanto eminentior est Christus quam Onias.

§. XIX.

Versu 27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una.

Veniatus tandem ad versum prophetiae ultimum: Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Sententia hujus loci est, inquit vir eruditus, ultima hebdomada multos Judaeorum confirmatos sedes antiquum, contenturoseque se in pacto veteri; hoc est, servaturos esse testamentum, quod pepigit Deus cum ipsorum patribus: obsecutos nimirum Mathathiae voci dicentis, 1. Mach. 2, 27. Omnis qui zelum habet legis statuens testamentum, exeat pro me. Et hoc illud est, pergit idem dicere, quod 2. Mach. viii, 1. Judas vero Machabeus, & qui cum illo erant, introibant latenter in castella, & convocantes cognatos & amicos, & eos qui permanserunt in Judaismo, assumentes eduxerunt ad se sex millia virorum. Et invocabant Dominum &c. Typum vero hunc fuisse dicit innumera multitudo, e sacerdotibus & plebe, quae nomen Christo dedit, toto praedicationis Apostolicae tempore, ante excidium civitatis: cujus excidii quidam typus similiter in hac ipsa ultima hebdomada exhibetur. Quod si hac prophetia confirmandos dumtaxat in Christi fide eos significaret qui hanc suscepissent, dicendum perfectio fuit, non id unam hebdomadam, sed quinque hebdomadas fuisse exhibituras: siquidem desolatio civitatis, quae in vaticinio Danielis cum hoc ipso eventu conjungitur, si sola pariter claudis sub Tito describitur, non nisi post annos xxxvii. a Christi morte contigit.

At tu, R. Pater, ne pars haec vaticinii spectet etiam ad tempora Judae Machabei, ultimamque, quae P. Harduinus adsignat hebdomadam septem annorum, duo admittis sane egregia. Primum enim, scripturam sacram adulteras & corruptis. Deinde hebdomadam illam postremam facis esse annorum quadraginta & eo amplius, hoc est, ab anno Christi xxx. usque ad septuagesimum, quo eversa a Vespasiano civitas est. Euge, maeste virtute atque ingenio, R. Pater: hoc argumentandi genere novum P. Harduini interpretamentum, ut appellas, corruet ac funditus subvertetur. Sic enim ais, pag. 174. „Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, scilicet Dominus JESUS, in quem haec quadrare modo evincemus, confirmabit sive praevalere faciet, juxta vim fontis, pactum quod Deus pepigerat cum Abraham & Davide de Messia dando; quodque implendum docet Gabriel postrema hebdomade ex septuaginta hebdomadibus. Et pag. 188. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una. Ibi Gabriel manifeste innuit pactum illud confirmatum iri ab eo CHRISTO qui erat occidendus. Quapropter ipse esset Onias, a quo debuisset confirmari hoc pactum: ergo non a populo Judaico. Ut omitam orationis tuae obscuritatem, cui opus sit Oedipo: quid est istud, amabo; Praevalere faciet Christum pactum olim initum de Messia dando? Num istud aliquando pactum novavit? Quod si deinde pactum illud a Daniele commemoratum de Messia dando fuit, cum Abraham & Davide initum; tunc dici profecto confirmatum illud oportuit, cum Christus est natus. Nam illud certe tunc confirmatum cecinit Joannis Baptistae pater Zacharias, cum dicitur Christum proxime nasciturum. Benedicimus, inquit, Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebi suae. Et EREXIT CORNU SALUTIS nobis IN DOMO DAVID pueri



pueri sui . . . Ad faciendam misericordiam cum patri- bus nostris, & memorari testamenti sui sancti . . . JURANDUM QUOD JURAVIT AD ABRAHAM PATREM nostrum, daturum se nobis, &c. Audis tunc confirma- tum dici pactum olim cum Abraham & Davide initum de Messia dando? Quota hæc autem tuo calculo heb- domas fuit? non septuagesima certe, sed sexagesimæ sextæ annus sextus. O firmam illam demonstrationem tuam! quam etiam ut adstruas, sacros ipsos, ut dixi, codices corruptis. Nam ubique sexti casus notam ad- pingis his verbis, hebdomadâ unâ, secutus de more Porto-Regienfes tuos: nempe ut rectus, seu nominandi casus, non ipsa hebdomas, sed Christus credatur. At quantum hinc distat Christi nomen in hoc vaticinio ab illa orationis parte, Confirmabit autem pactum multis &c. aut quis qui vel Hebraice vel Latine loqui sciat, Christi nomen tam longe antea positum hoc loco putet subintelligi? Verum ita poni a te, R. Pater, oportuit; ut suaderes ad sola Christi tempora hanc vaticinii sacri partem pertinere. Cur autem, cum Græcum, ut sub- inde vocas, fontem foleres ubique exscribere, eundem hoc loco prætermissis, nisi quia contra te facit? sic enim habet: *ὁ δὲ σωτήριος ἀποστόλος ἡμεῶν ἡβδομάς μία. Nec alia est vel Hebraici codicis vel Latini sententia. Quod si confirmatum illud pactum foret, ut velle vide- ris, in morte Christi: (quamquam præterea vide quem- admodum intelligas pactum de Christo dando tunc esse confirmatum, cum Christus est sublatus e medio:) sed si ita foret, quoniam tunc traditus est propter pec- cata nostra; cum eadem hebdomade desolationem ci- vilitatis eventuram vates admoneret, fuit illa hebdomas postremâ annorum amplius quadraginta: quod alterum ex tua interpretatione consequens incommodum esse diximus. Vide nunc igitur quemadmodum nodum istum utrumque dissolvat.*

§. XX.

Verſu 27. Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sacri- ficium: &c.

Sequitur: Et in medio hebdomadis deficiet hostia & sac- rificium. „ In fonte, inquis pag. 174. hoc est, in Hebræo, abolebit, seu cessare faciet sacrificium & manus. Reipsa prohibuit Antiochus ne sacrificia offer- rentur, sed id ad tempus. Et pag. 188. statim ac po- pulus cepit sequi Judam Machabæum, instaurata sunt sacrificia, &c. Pag. rursum 174. Christus autem mo- riens in ara crucis abolevit omnia sacrificia antiqua: quia cum typi essent mortis illius, jam nec necessaria, nec legitima erant. A morte Christi non multo post, eversis Hierosolymis cum Templo, omnis defecit hostia. Ex hiis dictis tuis, ni fallor, apte colligit quispiam, partem hanc vaticinii melius multo congruere cum An- tiochi temporibus, quam cum tempore mortis Christi. Antiochus enim cessare iussit sacrificia: ut Missam ces- sare faceret Princeps ethnicus, qui prohibet Missam ce- lebrari vel triennio. Christi vero mors cessare non fecit, hoc est, non prohibuit sacrificia celebrari, nisi vel post conversam (si forte) Hierosolymam ad Chri- sti fidem, vel post eversam; ut vir eruditus ostendit, qui mihi hoc loco describendus non est. In hypothesi tua tamen, R. Pater, cessasse sacrificia oportet in medio supremæ hebdomadis, quod tuo quidem calculo in an- num incurrit Christi mortis. Ex tua igitur interpreta- tione consequi et duobus alterum necesse est: vel cessasse sacrificia idem esse, ac cessasse esse necessaria, tamen fieri non cessarent: vel medium hebdomadem ultimam non contigisse nisi post annos a morte Christi septem ac triginta: tunc enim, nec prius, reipsa cessarunt, una cum Urbis & ædis excidio. Utrum liberit, elige.

At non observatum animo Danielis Antiochum in ca- pite nono, ubi edidit vaticinium de quo agitur, demon- stramus, inquis, hoc argumento: quod ille propheta de Antiocho alibi vaticinatus est; nempe in capite octavo. De illo Josephus interpretatur, quod capite octavo Da- niel dicit: Robur autem datum est ei contra iuge sa- crificium, &c. Vaticinium clare convenit huic principi, qui interpellavit iuge sacrificium, sed non omnino cessare fecit. Hæc tua igitur egregia demonstratio est, R. Pater. Egit Daniel capite octavo de Antiocho rege: dici igitur non potest capite nono eventum descripsisse,

quod sub eodem rege contingeret. Papæ! quæ confe- cutio! Quanto verius dicant, qui aiant, rem eandem utroque descripti capite, octavo & nono: sed nono etiam enigmaticè tempus designari? Deinde quid inter- est, an dicatur Antiocho regi datum robur contra iuge sacrificium, ut illud auferret: quod capite octavo & duodecimo dicitur: an eundem cesare fecisse hostiam & sacrificium, quod capite nono narratur? Utin Evan- gelio parabolæ quinque fexve in unum eundem scopum spectant; sic plura Danielis capita unam eandem Judaici Templi & Hierosolymorum calamitatem describunt. Sed de hoc argumento, & de reliqua parte prophetiæ, hoc est, de abominatione desolationis, quæ eadem ul- tima hebdomada contigit a Daniele ponitur; a te ve- ro, R. Pater, differtur in annos post eam hebdoma- dam amplius triginta, far prolixè egit P. Harduinus in sua Chronologia.

Nulla certe excogitata hætenus ratio est explicandi huius vaticinii, quam non aliqua ex parte nutare fen- serint Doctores etiam Catholici: atque ea causa est, quamobrem tot proderint hypothefes contraria invi- cem & pugnantes. Arbitratus est igitur vir eruditus, fas esse sibi aliquam inquirere, cui nihil opponi posset, quæ nulli pateret earum difficultatum, quibus dissol- vendis ceteræ omnes essent impares. Nec male, opi- nor, operam posuit. Tibi certe, R. Pater, decet il- lum interim maximam habere gratiam, quod plurimum laboraris, ut nemini lateret, qui te legeret, felicissimè expositum ab ipso vaticinium illud fuisse. Nam quis ita esse dubitet, cum te perfecta Dissertatione tua didice- rit, nec minimam illius interpretationis particulam con- vellere, nec nisi miserabilem omni ex parte lubricatio- nem edere potuisse, uti jam ipse, ni fallor, agnoscis? Certe habet ista viri eruditi interpretatio notas illas, quas in conjectationibus Philoſophus desiderabat, ut optima conferentur: Ita bene: aliter non bene: ergo sic optime. Huic interpretationi nihil est quod opponi pos- sit, præter novitatem: sed fiet illa ætatis accessu vetus. Nihil est in sacris litteris, quod quidem ad illius vati- ciniū illustrationem quoquomodo pertineat, quod non ad eandem stabilendam scriptum videatur: ceteræ & contrario obnoxie sunt maximis difficultatibus, quas expedire ars aut ingenii felicitas nulla possit: standum est illa igitur interpretatione; ceteræ deinceps negli- genda.

§. XXI.

De Marshami Angli interpretatione.

I nunc, R. Pater, & cum Marshami somnio con- gruere viri catholici & religiosi interpretationem ja- cta. Calumnia hæc est, (ignosce liberius forte loquen- ti, sed tamen vere:) conjuncta cum inficitia: siquidem neque de initio hebdomadam, neque de totius calculi ratione, neque de sensu alicujus ex eventis hoc vaticinio designatis, P. Harduino cum Marshamo convenit. 1. Negat Marshamus prophetiam esse de Christo: Oc- cidetur, contendit ac demonstrat P. Harduinus: qui nec Estio propterea parcat, nec Sixto Senensi, fecus sta- tuentibus. 2. Non intellexit deinde Marshamus hebdo- madas abbreviatis, quas solerter explicuit P. Hardui- nus: unde inter utriusque calculum discrepant interce- dit annorum fere quinquaginta. 3. Nihil præterea de Onia Pontifice dixit Marshamus: nihil ex libris Ma- chabæorum excerptit: at Oniam & contra venire in par- tem vaticinii, aliæque huius prophetiæ particulas egre- gie his libris confirmari docuit P. Harduinus. 4. Mars- hamus computat hebdomadas septuaginta ab excidio Hierosolymitano sub Nabuchodonosore: at ab annis novemdecim ante illud excidium P. Harduinus. 5. Mars- hamus elapsas ponit hebdomadas tres, cum oblata hæc est visio Danieli: at annos jam tum effluxisse quatuor & septuaginta ponit P. Harduinus. 6. Marshamus usque ad christum duem dictum intelligit de anno Cyri primo in Babylonia: at de anno Cyri primo in Media P. Har- duinus: qui annus in Media Cyri primus antecessit al- terum Babylone primum annis amplius quinque & vigin- ti. Mitto alia capita commemorare, quibus illi inter se dissident: cum sex illa sint sane satis insignia. Homi- num deinceps de te sermones verere, qui futuri sunt, si

tanta

CUM DISSERT. LXX. HEBD. DANIELIS.

tanta scribendi pruriginè te laborare fenserint, ut nihil penſi habere videaris quid dicas, dum scribas.

§. XXII.

De sabbato secundo-primo.

I Am nunc certe serpit ille rumor, non invidia te qui- dem fortassis, sed immoderato saltem scribendi desi- derio semper agitatum, ad quilibet carpendum, quod P. Harduinus excogitarit, audaçter progredi, hoc est, degeſtus & impudens. Sic enim inventum ejusdem de gemino Paschate, Galilæorum ac Judæorum, quod ille sacrarum ipsarum testimoniis litterarum egregie stabili- vit, pati olim noluisse esse a tua censura immune. At quo argumento? Nimirum ut ingenioso viri eruditi so- lidoque invento sententiam plane hæreticam, sive hæresim, (nam his eam nominibus Suarez & Ysambertus infi- giunt,) anteponeres, atque hanc totis defenderes vi- ribus. Quo eventu? Ut te obstinationemque tuam in tam mala causa tuenda, & tam bona oppugnanda, ex- sibilant, libellos tuo dignos irrisione censuerint, erudi- titi omnes. Sic autem nuperrime aliam ejusdem eruditi scriptoris interpretationem, sane novam, sed cum serie rerum, quæ in Evangelio narrantur, mirifice congruen- tem, atque ex ipsa ratione Judaicorum mensium repe- titam, de Sabbato secundo-primo, cujus est mentio Lucæ capite VI. versu I. ausus es reprehendere: ut doctior, credo, viro docto, (sic enim appellas,) indoctis videre- re. Quam ille valide, quam dilucide, quam ad fidem faciendam apte & apposite, fuis de Sabbato de negotio sententiam confirmavit, superfluum est a me tibi commemorari hoc loco; cum ad ea quæ attulit, tum in Dissertatione de Supremo Christi Domini Paschate, tum in Chronologia Veteris Testamenti, adjici nihil possit.

Tu vero, R. Pater, quid opponis? In Apparatu ni- mirum tuo Chronologico, sive toto priore, pag. 199. „ Constat, inquis, Sabbatum illud secundo-primum, „ subsecutum fuisse Pascha. Quid ita? Etenim cum in eo „ Apostoli vultissent spicas & confricavissent manibus, non „ alteri visio rem dabant Pharisei, nisi quod Apostoli sa- „ cerent qua non liceret in sabbato: nempe quia qui vel- „ lerent spicas, CENSEBANTUR METERE, quod opus „ prohibitum erat in diebus sabbati. Sed cum & lex veta- „ ret, ne quis falcem in segetem mitteret ante oblatum „ manipulum novæ frugis; qua oblatio non fiebat nisi po- „ stridie novi diei azymorum; cum, inquam, nec METE- „ RE, nec novæ fruges degustare ante Pascha fas esset; „ procul dubio non unius delicti, sed multarum in una re „ transgressum Pharisei Apostolos arguerent reos, si tunc „ Pascha non transactum fuisset, nec ideo facta manipuli „ oblatio: duobus, inquam, eos damnassent criminibus; „ tum quod violarent sabbatum, tum quod non expectarent „ diem oblationis manipuli; prius METENTES & degu- „ stantes novæ fruges. Et pag. 201. Hocce argumento „ EVERTITUR NOVA OPINIO VIRI DOCTI, qui nu- „ per dixit sabbatum secundo-primum incidere in secundum „ ex duobus mensibus Adar. . . . Opinetur igitur VIR „ DOCTUS AUCTOR NOVÆ CHRONOLOGIÆ, sab- „ batum secundo-primum illud esse, quod incidere in secun- „ dum Adar. Sed cum mensi ille præcederet mensem Pa- „ schalem; non solum lex sabbati, sed & lex de NON „ METENDO ante oblationem manipuli, locum dedisset „ Phariseis, ut improbarent factum discipulorum: MA- „ GISTRI INTERPRETATI fuerant, velle & frica- „ re spicas idem esse quod METERE: Ita quia in sabbato „ non licebat METERE, dicebant nec vellendas nec frican- „ das esse spicas.

Vide quam non refugiam exscribam laborem, R. Pater; qui tuam tibi integram plenamque tædii argu- mentationem exhibeam. Hæc summa, opinor, illius est. Si sabbatum secundo-primum fuisset secundi mens- is Adar primum sabbatum, ut contendit vir doctus, atque adeo ante mensum Paschalem, qui hunc subse- quebatur; accusassent Pharisei Apostolos gemini crimi- nis; nimirum & violati sabbati, & alterius legis negléc- tæ, quæ demeti segetem ante medium mensum Pascha- lem vetat. Atqui violati tantum sabbati reos Apolto- los Pharisei peregerunt, non & alterius legis negléc- tæ. Ergo sabbatum de negotio non nisi post Pascha conti- git. Sic probas deinde majorem propositionem; quo-

Pars I.

niam est assumptio, seu minor propositio, extra con- troverſiam. Par & idem, inquis, scelus est vellere di- gitis spicas, atque falcem mittere in segetem. Atqui falcem mitti in segetem non modo lex sabbati sanctæ transgredi, sed & altera lex vetuit, quæ prius offerri manipulum in Templo postridie Paschæ iussit, quam MESSIS fieret. Ergo si spicas discipuli sabbato aliquo ante Pascha vellerent, non sabbati modo, sed & alterius violatæ legis de anticipato messis tempore perage- rentur rei.

Ad hanc ultimam argumentationem, R. Pater, quam tu Achilleam putas, Respondeo, Nego majorem: Ne- go minorem: Nego consequentiam. Qui sunt illi, amabo, Magistri tui, qui frangere spicas & manu con- terere, par & idem scelus esse, ac si quis messuerit, interpretati sunt? Cedo Rabbinum, cedo somniantem aliquem saltem unum, qui tam lepidum somnium som- niarit: qui nihil interesse dixerit, an digitos aliquis in spicas, an falcem immittat in segetem. Negant certe apertissime istud esse verum factæ litteræ: Deut. xxiii, 25. Si intraveris in segetem amici tui, FRANGES SPICAS, & MANU CONTERES: FALCE AUTEM NON METES. En aliud fas esse Moses, aliud nefas prædicat: non est idem igitur & par facinus utrumque. Vellere falcem frangere manu spicas licet, falce metere non licet: sunt igitur hæc duo longe inter se dissimilia. Et est falsa proinde major propositio ratiocinationis tuæ.

Jam ad minorem, Atqui falcem mitti in segetem non modo lex sabbati sanctæ transgredi, sed & altera lex vetuit, quæ prius offerri manipulum in Templo postri- die Paschæ iussit, quam messis fieret. Nego, inquam, minorem. Nam ubi lex illa læta tibi aut visa est? Ne- que enim in Bibliis Hebraicis, Græcis, aut Latinis, ullum decreti similis vestigium est. Comedi solummo- do de segete confectum aliquid ante illum diem lex di- vina prohibet: demeti segetem omnino non prohibet. Lege Levit. xxiii, 14. Panem, & polentam, & pul- verem non comedetis ex segete, usque ad diem qua offerretis ea Deo vestro. Græce mavis audire? Καὶ ἄρτον, καὶ κρο- σσῶντα καὶ ἄλλα τῶν ἐκ τῆς σῆθης οὐκ ἐσθίετε ἕως οὗ ἀνθρῶπι- οῦ κάρτου, &c. hoc est: Et panem, & spicas videntes tot- stas igni non comedetis usque in illum ipsam diem, &c. Num ad Hebræa denique provocas? Sic habent: וְאֵרֶבֶת וְאֵרֶבֶת וְאֵרֶבֶת: & panem, & polentam, & pulv. Hebraicam quid- em vocem וְאֵרֶבֶת spicam irritam interpretantur quidam. Sed num tu pro more hic quoque Rabbino vel Hebrai- zanti cuilibet plus tribuendum existimas, quam Vulgato Interpreti? Fac tamen hoc loco וְאֵרֶבֶת spicam tritam esse. Non crudas certe spicas intelligit isthic Moses, ut recte Cornelius a Lapide aliique adnotant; siquidem has comedi non fert usus communis: nec totas simili- ter, siquidem de tosto farre dictum est proxime, polen- tæ nomine. Apte igitur, ut ait idem, Interpres non- ster spicas hic tulas accepit; farinam nimirum in cibum diductam & coctam; quæ sola comedi solet. Coquitur autem farina, vel in panem, vel in polentam, vel in pulvis. Itaque comedi de segete tale confectum aliquid lex solum vetat; falcem mitti in segetem non vetat: ne- dum vetat digitis velli spicas. Violatam igitur a disci- pulis Christi solum sabbati legem potuere Pharisei per- tendere: neque tamen propterea quia vellere spicas idem piaculum sabbato foret ac falce demetere; sed quod opus qualecumque sabbato, non modo servile, prohibitum lege scirent. Quos tamen oportuit Christo Servatori fidem habere, affirmanti se esse dominum sab- bati, & necessitatis ibi legitimam excusationem esse.

Define ergo, R. Pater, gloriose prædicare, eversum argumento tuo novam opinionem esse viri docti; statuentis nimirum sabbatum secundo-primum esse sabbatum se- cundi Adar primum. Nam quod ad eam sententiam convellendam commentus es, non modo imbelles telum, & mera animi aberrantis conjectatio est; sed dici etiam divinis litteris adversus vix quidquam potest. Cum e contrario nihil similis veri sit, quam sabbatum secun- do-primum dici soletum fuisse, quod primum occurre- ret eo mense, non qui secundus anni quidem, (quo- niam tunc peracta messis esset;) Sed qui cum proprio careret nomine, secundus idcirco diceretur, quia secun- do repetitus foret. Mensum autem hujusmodi anno tantum embolifico contigisse ex Calendario Judaico certum est: & de solo mense Adar dici posse, quoniam is solus eo anni genere geminatur: & illum denique an-

d 2

num,